DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

Utrum ad Insitionem in Variola necne debeat confugi, ostendens.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

Utrum ad Insitionem in Variola necne debeat confugi, ostendens.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOSEPHUS PEREIRA DE CASTRO,

LUSITANUS.

SOC. MED. EDIN. SOC.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GULIELMI CREECH.

M DCC XCIII.

DOMINO JOANNI,

PRINCIPI BRASILIÆ ILLUSTRISSIMO ET POTENTISSIMO,

JOSEPHUS PEREIRA DE CASTRO

S. P. D.

TRIENNIO et ſupra in ſtudio artis Apollineæ, hac in Academia celebri, conſumpto, et tempore igitur appetente, quo mihi ſummos medicinæ honores attingere licebit, ne quidem in unum momentum potui dubitare, cuinam illam diſſertationem inauguralem, quam inſtituta academica ab unoquoque ſtudioſo conſtanter exigunt, deberem conſecrare. E memoria etenim mihi, Princeps Maxime, neutiquam exciderunt, nec unquam, annis labentibus, excident, beneficia ſummi momenti, quibus me benignus et generoſus fueris dignatus afficere. Hoc praecipue in cauſa fuit, cur Inſitionem Variolae exequendam ſuſceperim, quod tibi in primis gratum acceptumque fore credidi, ſi mihi ulla argu-

menta,

menta, quibus tibi ſubditi, quos patrio amore ſemper proſecutus es, ad uſum praxeos hujuſce ſalutiferae frequentem et quotidianum allici poſſent, in medium proferre contingeret. Deus optimus et maximus faxit, ut tempus non longe abſit, quo, hac ubique recepta, et vinculis erroris diſruptis, ſtragibus horrendis, quas morbus ſponte accedens apud eos longe lateque ſaepe edidit, quaeque tibi, qui commodis populi tui, omnibus in rebus, conſuli et proſpici velis, ſummo dolori non eſſe non potuerunt, efficaciter incipiant occurrere.

Quaecunque ſunt bona et optabilia, ea omnia tibi abunde contingant ; et ſolio avorum, per longum annorum decurſum, inſideas, ab omni parte beatus, et felicitatem in univerſas imperii tui partes diffundens. Vale.

EDINBURGI dabam, 16to calendas Julii, anno Salutis Humanae 1793.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

Utrum ad Insitionem in Variola necne debeat confugi, ostendens.

AUCTORE JOSEPHO PEREIRA DE CASTRO.

I. Ex quo medicinae, hac in regione, studere coeperim, et, cum summis attentione et admiratione, doctrinas non solum hodiernorum, sed etiam antiquiorum, et audire et legere, non sine moerore, immo horrore, notavi, partem generis humani immensam fato, sponte, et sine ulla causa, cessisse, et semet, ut praedam intempestivam, manui mortis rapienti obtulisse. Non quidem, sine summa

indignatione, poſſum contemplari, tantum injuriae naturae humanae, eam periculis multis horrendis, quae facillime potuerunt vitari, objiciendo, illatam fuiſſe. Igitur non ulterius progredi poſſum, quin ſtuporem verbis enunciem, tantam tribus Apollineae partem, caecitate abreptam, doctrinas repudiaſſe, quae ratiociniis juſtis rebuſque veris, bene et firmiter ſtabilitis, innituntur, quales ſunt, exempli gratia, effectus admodum ſalutares inſitionis in variola, operationis quidem, quae beneficiis ſummis, quae Providentia divina in mortales conferre dignata eſt, non ſine ratione graviſſima, poteſt accenſeri.

II. Igitur, ſi infeliciter accidat, ut aliquis ſit, qui amore contradictionis imbutus, opinionem ſingularem ſuffulciens, vel averſatione dedecoroſa cogitandi, vel examinandi argumenta, fundamento ſtabili et certo innitentia, quae a ſcriptoribus ſeculi praeſentis dig-

nis

nis et attentis generofe fuerunt fuppeditata, oppreffus et degravatus; immo, fi aliquis fit, qui, per dubitationes futiles et leviculas, animos eorum terrore afficit, qui iis principiis deftituti funt, quae, de operatione tam utili et facili, ad judicandum funt neceffaria, ei pudori aeterno fint ea, quae, fummo cum fuo honore, a nationibus felicioribus et eruditioribus exculta et detecta funt, praefertim a Britannis, quorum fama, fingulis diebus, fluento copiofiore latius longiufque diffunditur.

III. Idcirco, cum mecum faepe ferio et attente reputaverim, quanto periculo genus humanum quotidie objiciatur, ignarum fe a morbo tam funefto, quam variola eft, poffe fervari, mihi in votis maxime finceris non effe non potuit, ut infitio innotefceret, omnibus hominibus a medicis fortiter fuaderetur, et etiam legibus praefcriberetur, in iis regionibus, ubi adhuc non rite intellecta eft. Namque

que ita ii, qui variola nunquam ante laboraverunt, vitas ſuas adverſus tantum periculum tutas reddere poſſunt. Igitur ea argumenta in medium proferre conabor, quae, ut fidem utilitati praxeos tam humanae ex toto habeam, faciunt.

INSITIONIS COMMODA.

IV. Neceſſarium erit notare eorum numerum, comparatione inſtituta, qui variola inſitiva et naturali extingui ſolent; namque concluſiones, quae inſitioni favent, nunc, ultra omnem dubitationem, rationibus ſtabilitae et confirmatae ſunt, quas viri clari Turini, Timoni et Pylarini, et etiam vir indefeſſus Black Londinenſis multique alii reddiderunt, qui non parum operae in ſupputationibus, per tabulas mortuorum, faciendis poſuerunt, uti diſcrimen inter hoſce duos numeros

ros comperirent. Monſtrarunt, vix unum e ducentis variola inſitiva mori. Caeterum commoda inſitionis, quantum ſigna morbi ſpectat, ſummam noſtram attentionem in ſe convertere debent.

V. Experientia oſtendit, variolam naturalem febri petechiali frequenter ſtipari, quae ſaepiſſime exitio eſt. Res verò rariſſime ita ſeſe habet in ſpecie inſitiva. Quinetiam hic pro certo habetur, morbum totum ſuum decurſum, ſine minima etiam perturbatione vel periculo, abſolvere; et pulchritudinem nihil detrimenti omnino inde capere. Nec hanc unquam exceperunt ophthalmiae, furunculi, vel ulla alia vitia ingrata, a metaſtaſi materiae varioloſae ad partes corporis diverſas proficiſcentia. Inſuper indubitabile eſt, hanc febri ſecundaria nunquam ſtipari, in morem variolae naturalis, quae hac nunquam carere

ſolet,

ſolet, ſi adeſt ullus magnus puſtularum numerus.

VI. Modus quoque virus varioloſum inſerendi hoc commodum habet, medicum illius vitae temporis annique tempeſtatis delectum habere poſſe, quibus poni poteſt, aegrotum morbum facillime tolerare valere, et optimum ex eo commode emergendi caſum habere.

VII. Praeterea, cum ad inſitionem decurritur, contagio eo tempore corpori, quo valetudine commodiſſima fruitur, applicari poteſt; et, ſi ita eveniat, ut, aliqua ex parte, male afficiatur, operatio poteſt differri, donec omnia rurſus ad ſanitatem reducantur, et corpus ad perferendum morbum rite accommodetur. Cum vero, contra, variola epidemice graſſatur, unumquemque, qui ea non antea laboravit, ſine diſcrimine aetatis, ſexus, vel conditionis

ditionis corporeae, invadere periclitatur; adeo ut nonnunquam eos, quibus vires morbis praecedentibus jam fuerunt convulsae, et etiam gravidas et puerperas, &c. corripuerit.

VIII. Insuper vir clarus Camper opinatur, tumorem manuum et pedum, et salivationem, quae pro signis salubribus, cum, per decursum variolae naturalis, semet ostendunt, haberi solent, ab eruptione numerosa sola proficisci, et per insitionem, quae numerum pustularum diminuit, tantum praecaveri posse.

IX. His accedit, quod variola naturalis inflammatione faucium, et tussi, die septimo, octavo nonove ab eruptione, stipari admodum periclitatur. Haec autem signa, ut neminem fugit, et aegroto et medico multum molestiae facessunt. Cum vero numerus pustularum faucium et asperae arteriae, per insitionem

onem ſolam, poſſit diminui, quantum beneficium et levamen haecce praxis ſecum adferat, clarum et manifeſtum eſt.

X. Quinetiam multi ſcriptores exempla ſuppurationum dolentium innumera memoriae produnt, quae, ſubter cutem, in artubus, et ſaepe in cartilaginibus, incidere ſolent. Phthiſes quoque, aſthenias et abortus a variola naturali ſaepe oriri memorant. Nullus vero ex hiſce morbis inſitionem unquam excipere fuit notatus.

XI. Supra poſui, inſitivam variolae ſpeciem pulchritudini nihil injuriae inferre; quod puſtulae numero plerumque paucae ſunt. Et, quanquam puſtulae interdum per inſitionem progenerari poſſunt numeroſae; nunquam tamen concurrunt, et tali modo aſſidue decidunt, ut nullas fovealas, vel cicatrices inſignes relinquant.

XII.

XII. Praeterea, obſervatio attentiſſima, et res verae hodie conſtanter, ſine omni dubitatione, oſtendunt, eos, quibus virus varioloſum fuit ſemel inſitum, nunquam in poſterum infici. Namque multa experimenta hanc rem illuſtrandi conſilio fuerunt inſtituta, et omnia veritatem ejus confirmant. Quanquam nonnulli auctores ſunt, aliquos, qui inſitionem ſubierunt, variola naturali poſtea fuiſſe correptos; exempla tamen innumera et experientia quotidiana hoſce rumores, quibus nonnulli ſerviunt, falſos eſſe demonſtrant. Et ſi ullae notae ſint, quae hoſce rumores moverunt, a variola anomala originem deduxerint neceſſe eſt.

XIII. Vir clarus Dimſdalius memoriae tradit, eruptiones recentes, in multis ſuorum aegrotantium, et aliis inſitoribus etiam demandatorum, febre aliiſque ſignis, poſtquam complures puſtulae apparuerant, et ſtadium

eruptionis ad finem perductum esse visum est, levatis, nihilominus incidisse, et, in dies quatuor, quinque, vel etiam sex continuos, apparere perrexisse, et eas dolorem capitis levem interdum antecessisse, quanquam frequentius in conspectum, sine ulla nova molestia, venerunt. Hoc ortum hisce rumoribus praebere potuisse judicat, et hos falsos esse e suis observationibus demonstrat; quod, in omnibus ejus generis exemplis, messis pustularum secunda vel posterior, intra spatium temporis progressui variolae insitivae vulgo concessum, semper incidit, et antequam inflammatio brachii cessaverat. Et nunquam incidit, nisi in illis, in quibus, post levem eruptionem et levata signa, morbus omnino finitus esse praemature fuit judicatus. Ægrotantes igitur hujusmodi curati esse positi sunt, et pro talibus ab iis, qui eos nutriebant, habiti.

XIV. Hujuſcemodi ſunt ea, quae omnes medici celebres, qui hoc argumentum ſunt executi, aſſeruerunt. Caeterum ſilentio non praetereundae ſunt affirmationes medici, doctoris nempe Farquharſon Edinenſis, cujus doctrinam ingeniumque magnopere miror, et plurimi ſemper faciam. Me iterum iterumque certiorem fecit, ſe, variolam poſt inſitionem oriri, nunquam aut vidiſſe, aut audiviſſe. Aſſeverationes ejus autem non tantum theoriae ſanae, ſed etiam uſui practico, longe lateque patenti, innituntur; namque hanc operationem, in vices fere innumeras, peregit, et, ſumma confidentia, morbum de novo oriri poſſe negat.

XV. Aliud inſitionis commodum minime neglectui habendum eſt, medicum nempe quantitatem materiae contagioſae perquam exiguam tantum in corpus invehere poſſe,

et ejus esse opis eam corporis partem, quam maxime idoneam esse judicet, seligere.

XVI. Haec autem beneficia, et alia, quae ab insitione viri variolosi profluere experientia docet, manifeste magna et numerosa sunt. Sed nunquam mihi in ullam sententiam de re ex toto concedere potui persuadere, donec omnia, utramque quaestionis partem spectantia, animo serio perpenderam. Postquam hoc consilio auctorum diversorum, qui de hoc argumento egerunt, opiniones diversas legeram et examinaveram, utrum ad alterutram opinionem propenderem, mecum serio attenteque reputavi. Nunc autem libere candideque non affirmare non possum, idem illis omnibus, qui de utilitate insitionis variolae opinione differunt, ad ultimum, commodum nempe generis humani, exoptatum et quaesitum fuisse. Et hoc mihi satis esse videbatur, cur eos amore et reverentia prosequerer. Si qui

vero

vero ſint, qui opinionem ſibi propriam argutiis pravis propugnare conati ſunt, eos praedae indignationi, ſaltem contemptioni omnium, quotquot ſunt, honeſtorum relinquo.

XVII. Quod primum mihi, de hac re cogitanti, faciendum putavi, id fuit comperire, ſi fieri poſſet, rationem veram, quae inter eos, qui e variola naturali emerſerunt, et eadem extincti ſunt, intercederet. Hoc conſilio, hanc in rem accurate inquiſivi, et e rationibus, quas Black Londinenſis reddiderit, et e tabulis mortuorum didici, eos, quos variola, intra duodecim annos, ab anno nempe 1715 ad annum 1728, rapuerat, 27367, vel propemodum 2300 quotannis, adaequare.

XVIII. Quinetiam e Boylſton compertus ſum, homines, in Nova Anglia, anno 1721, et anno 1722 ineunte, 5759 variola naturali

rali laboraviſſe, e quibus 844 fato functi ſunt.

XIX. Commodis inſitionis hoc modo delineatis, qua ratione poſſint comparari oſtendere non alienum fore duco. Igitur viam illam, quam certiſſimam, ſimpliciſſimam, et igitur facillimam eſſe opinor, operationem inſitionis perficiendi exponere aggrediar.

MODUS VIRUS VARIOLOSUM INSERENDI.

XX. Cum tot, de ratione variolam inſerendi, a multis auctoribus diverſis jam dicta ſint, ea, quibus ſolis noſmet circumſcribere debemus, eſſe videntur, aetas, conſtitutio corporea, tempeſtas anni, materia adhibenda, modus operationis et regimen.

ÆTAS.

ÆTAS.

XXI. Quantum aetatem aegroti, viro variolofo inficiendi, fpectat, Dimfdalius ait, fe, cum delectum habere liberum permitteretur, pueris, nondum biennibus, materiam contagiofam inferere conftanter noluiffe.

XXII. Cullenus celeberrimus ad infitionem, prima dentitione finita, et antequam tempus pubertatis acceffit, commodiffime poffe decurri memoriae tradit.

XXIII. Vir clarus vero Kirkpatrick, qui de hoc argumento tam bene fcripfit, aetatem, a quadriennio ad feptennium, pro tempore infitionis optimo habet. Haud dubie vero unus puer infitioni aeque aptus effe poteft, tres annos habens, ac alius, qui annum aetatis quartum

tum attigit, vel eundem tranſgreſſus eſt. Igitur, me judice, ſi nihil eſt, cur variolam in loco, ubi degitur, ejuſdemve vicinia, epidemice graſſari brevi periclitari ſuſpiceris, hac operatione debet abſtineri, donec dentitio praeterierit, quoniam pueri, quibus nondum multum aetatis acceſſerit, patent omnibus periculis dentiendi, febrium, fluxuum, convulſionum, aliorumque malorum, quae per ſe, aetate tam tenera, curatu ſatis ſunt difficilia. Namque, dentitione abſoluta, proclivitates horum puerorum naturales manifeſtiores evadunt, et igitur facilius tractari poſſunt. Quinetiam functiones vitales, pro rata parte, corroboratae evidenter teſtantur, integumenta eorum nunc aeque morbo accommodari, ac unquam poſtea eſſe poſſunt. Adhuc ponere poſſumus, ex iis pauciſſimos ullo ejus metu affici, et, cum operationem inſtituere ſtatutum eſt, multi eorum in eam facile illici poſſunt, ne minimo quidem ullius morbi ſubſecu-

turi

turi excitato. Inſuper, circa hoc tempus, pueri plerumque tractabiliores evadunt; et, ſi puellula ſit inficienda, pulchritudinem ſuam tanti aeſtimare incipere conſuevit, ut partes externas affectas ſcabendo vel carpendo, ſi ad hoc faciendum proclivis ſit, abſtinere ei poſſit ſuaderi. Praeterea, ſi eruptio major, quam quae in illis, quibus, circa hanc aetatem, virus varioloſum eſt inditum, incidere conſuevit, ſemet oſtendat; haec aetas, quam inferior, multo commodior eſt. Namque aegrotantibus infelicibus, juſto junioribus, ut remedia idonea adhiberi patiantur, nec monitis, nec minis, nec muneribus poteſt perſuaderi. Licet ſupra comprehenſa, in hoc paragrapho, protulerim; minime tamen intelligatur, me virus varioloſum pueris, antequam dentes illis fuerunt orti, inſeri vetare, aut praxin illam repudiare, ſi modo in urbibus amplioribus degent. Namque in locis hoc genus contagio plerumque adeſt, et ſummae

imprudentiae foret, pueris commodis, quae insitio secum adducit, felicissimis interdicere, et eosdem, ad extremum, periculo variolae naturalis horrendo, semperque omni ratione fugiendo, objicere.

XXIV. Quousque, quantum senectutem spectat, pergere possimus, si nunc considerarem; affirmationes viri clari Timoni habemus, insitionem in hominibus omnium aetatum, ne uno quidem ea mori reperto, fuisse institutam.

XXV. Pilarini inquit, uti judico, cautius et verius, effectus nocivos, raro aut nunquam, inde fuisse profectos; quanquam, in hominibus omnium aetatum et temperamentorum, fuit peracta.

XXVI. Dimsdalius celebris quoque septuagenariis virus variolosum, et cum effectibus faustis,

fauſtis, inſerendum curavit. In ſumma vero plane confiteor, animum non mihi inclinare, ut ad ſententiam generoſorum, qui ſenio tantum confidunt, accedam. Etenim compertum habemus, conſtitutiones ſingulares corporeas non deeſſe, quae contagionem recipere non poſſe videntur. Igitur ſi qui ſenectutem attigerunt, et contagio ſaepe antea fuerunt objecti, et id nihilominus effugerunt; eos morbo ſubjicere non tantum temerarium, ſed etiam minime tutum foret. Nos enim minime latet, circuitum ſanguinis in ſenioribus magis debilem eſſe, rigiditatem vaſorum majorem, calorem animalem diminutum, integumenta corporis ſicciora, et perſpirationem ſaepe ſolito parciorem. Quae omnia facerent, ut eruptio admodum difficilis foret, et ſanguis, ob contagionem ei admiſtam, foedaretur; quod morbum aliter perplexum confuſumque reddere poſſet. Et ſi ſigna concitatiora evaderent, aegrotus, ob vires ſibi con-

vulſas,

vulſas, morbo ſuccumbere periclitaretur. Si vero eruptionem omnino rite procedere poneres, non parum minitantur periculi tarda parumque perfecta ſuppuratio, et ea ad gangraenam proclivitas, cui ſenectus, ob alias quoque cauſas, tam opportuna eſt.

CONSTITUTIO CORPOREA.

XXVII. Quantum ad hanc attinet, liceat obſervare, homines malis chronicis variis laborantes, et alios habitu corporis ſcrophuloſo, ſcorbutico et arthritico praeditos, in numerum eorum, qui ad hunc morbum accipiendum accommodati eſſe judicati ſunt, fuiſſe admiſſos; et inſitionem in iis, qui hiſce morbis conflictati ſunt, cum ſucceſſu proſpero, revera fuiſſe peractam. Et exempla habemus, ubi etiam conſtitutiones corporeae illis, poſt

inſitionem,

infitionem, in melius haud dubie fuerunt conversae. Caeterum, meo judicio, praxi rationali consentaneum esse videtur, ut aliquantum curae adhibeatur, quo corpus, saltem tempore insitionis, omni alio morbo, quantum fieri possit, careat; ne natura in variola rite progeneranda, maturanda, vel idonee expellanda impediatur, aut retardetur; vel ne ponderi duorum morborum, eodem tempore urgentium, succumbat. Igitur existimo, morbos eruptione stipatos et cutaneos, qui nomen mali sibi merentur, sine ulla fere exceptione, conditionem huic operationi parum idoneam constituere videri. Idem omnino de visceribus inflammatis aut ulceratis dici potest, quoniam causa, cur partes inflammatas, vel exulceratas, irritatum iri metuamus, justa minime deest.

TEMPESTAS

TEMPESTAS ANNI.

XXVIII. Quinetiam non notare non possumus, parum nihilve rationis temporis anni fuisse habitum; namque ad insitionem, omnibus tempestatibus, et cum successu exoptato, fuit confugitum.

XXIX. Caeterum autumnum tempestatem parum commodam esse opinor; quoniam, hoc anni tempore, ut omnes norunt, morbi epidemici vulgo invadunt, praesertim dysenteriae, febres intermittentes et anginae malignae, ut Celsus immortalis memoriae posterorum tradidit. Idem auctor quoque notat, hyemem morbos inflammationem habentes inferre, aestatem putredinem augere. Igitur cum haec res minime possit negari, admodum probabile

babile eſt, inſitionem quaedam commoda, vel a frigore, vel a calore intenſo vitato, deducere poſſe.

XXX. Si Timoni fides habenda eſt, haec operatio, vel hyeme ineunte, vel vere, fieri poteſt. Pylarini memoriae prodit, Graecos hanc operationem, tempore hyemali, abſolvere conſueviſſe, quamvis ver quoque pro tempeſtate, inſitioni idonea, cum tunc fieri poteſt, habet.

XXXI. Confitear vero oportet, memet virus varioloſum corpori humano, qualibet tempeſtate, inſerere minime dubitaturum eſſe, ſi, eo tempore, ſaeviunt, nec morbi epidemici, nec inflammationem habentes.

MATERIA

MATERIA ADHIBENDA.

XXXII. Quantum materiae, quae debet adhiberi, qualitatem ſpectat, res verae innumerae non deſunt, quae nullam ejus rationem habendam eſſe teſtantur; namque prava materia bene ceſſit, et laudabilis detrimento fuit, et vice verſa. Nullum vero commodum, quod noverim, a pure malo deduci poteſt; et idcirco, quo omnis ſuſpicio amoveatur, materiam, per ſtadium morbi mite, extractam, corpori inficiendo inſerere praeſtat.

MODUS OPERATIONIS.

XXXIII. Si omnes rationes diverſas pus varioloſum in corpus invehendi, quae ab auctoribus

toribus diverſis in uſum fuerunt revocatae, commemorarem, parum prodeſſet, et enarrationis lectorem forſitan magnopere toederet. Igitur nihil aliud quam rationem, qua uti decreverim, deſignabo.

XXXIV. Apex lanceolae, materia vel pure puſtulae humectatus, per cuticulam introduci, et cutem veram tantum tangere debet. Longitudo inciſionis tam brevis ſit, quam fieri poteſt.

XXXV. Locus hujuſce vulneris, perquam ſimplicis et exigui, in ea brachii parte eſſe debet, ubi fonticuli aperiri conſueverunt. Admoveri non debent emplaſtrum, faſcia, ullumve tegimen, nec, ex ulla parte, opus ſunt; ſed, ut veſtimenta materiam non abſtergeant, tantum agendum eſt.

REGIMEN.

XXXVI. Quantum ad praeparationem corporis attinet, in ea, in menſem, in duas hebdomadas, in dies duodecim, decem novemve, ante inſitionem, perficienda fuit elaboratum. Camper vero, Gatti, Ranby, Dimſdalius, et alii, omnem praeparationem neglectui habuerunt, et inter omnes eam omnino ſupervacaneam eſſe convenit.

XXXVII. Longius etiam progreditur Camper, et praeparationem, tres ob cauſas, nocivam eſſe putat. 1. Quod natura contagionis ignota eſt. 2. Quod, per ſpatium praeparationis, aegroti, in quos virus varioloſum indendum eſt, aliquantum moleſtiae quotidianae a metu derivant. 3. Quod, variola epidemice graſſante, homines, viro varioloſo

imbuendi,

imbuendi, per moram, morbo naturali objiciuntur.

XXXVIII. Cibo animali vero, liquoribus fermentatis, et omnibus, quae dotes manifeſte calefacientes habent, abſtinere convenire judico. Namque diatheſin corporis, et inflammatoriam et putridam, intendere poſſunt, adeo ut aegroti adverſus morbum graviorem minus tuti reddi periclitentur.

XXXIX. Quae ſupra comprehendi, ea tempus tantum, ante inſitionem peractam, ſpectant. Proximum eſt, ut ea, quae, poſt diem inſitionis debent adhiberi, leviter percurram.

XL. E die inſitionis, regimen antiphlogiſticum ſolum et ſtricte adhibendum. Purgantia, refrigerantia, et acida in uſum revocanda. Si ſigna inflammationis concitatiora et violentiora

tiora ſint, ſanguis detrahi debet. Hoc vero raro neceſſarium eſt; namque applicatio aëris frigidi, uſuſque potionis frigidae, ſunt potentiora et efficaciora remedia. Uſus corticis Peruviani hic raro depoſtulatur. Sin vero eum notae requirant, effectus ejus neminem latent. Vinum ei adjungi poteſt, cujus effectus quoque notiſſimi.

XLI. Diagnoſin hujuſce innocentis morbi ſilentio fere praeteribo; namque ſi punctura, materiae recipiendae facta, rite attendatur, ſpecies, quam prae ſeſe fert, medicum de morbi progreſſu certiorem faciet. Etenim ſi, ſecundo tertiove die, poſt inſitionem peractam, pars lentis ope conſpiciatur, aliquantum labis, colore aureae, circa inciſionem, ſemet oſtendet, et cutis ei circumdata contrahi videbitur. Quarto quintove die, digito admoto, durities percipitur. Pruritum in parte, quae leviter inflammata eſſe videtur, ſentit

ſentit aegrotus. Circa ſextum ſeptimumque diem plerumque percipitur nonnihil doloris in axilla. Haec autem ſunt ſigna, quae rite pro notis morbi genuinis poſſunt haberi, et unde pro certo diſcere valemus, effectus feliciſſimos inciſionem eſſe ſubſecuturos. Si vero haec ſigna ſerius, quam modo poſitum eſt, appareant, minus grata ſunt; namque ſuppurationem tardam, &c. ſignificant.

XLII. Univerſus morbi progreſſus plerumque talis eſt, qualis nihil auxilii a medicina requirit. Si vero aliquid inſolitum eveniat, nunquam iſtiuſmodi eſt, ut ullum metum experto medico incutere poſſit.

XLIII. Hiſce conſideratis, ad ultimam hujuſce diſſertatiunculae partem tranſibo, in qua de hiſtoria inſitionis agetur.

HISTORIA

HISTORIA INSITIONIS.

XLIV. Poſtquam uſus inſitionis felices notaveram, et de iiſdem ſerio cogitaveram, nonnihil operae poſui in conando reperire, quiſnam hanc operationem primus detexerit. Omnia vero conamina ex toto fuerunt ſupervacanea. Namque inventor, aeque ac tempus locuſque inventi ipſius, non tantum incolas Europae, ſed, quantum noverim, Aſiaticos ipſos, unde artem accepimus, omnino latent.

XLV. Forſitan non improbabile eſt, eam reperiri potuiſſe aliquo caſu, ſine ullo conſilio ratiociniove medico, et ab indocto pauperculo, qui ſcientiam a coelo ſolo deduxit, quique, ob conditionem regionis natalis rudem et illiteratam, memoriae poſterorum nunquam traditus eſt. Quicunque vero fuerit, multo

plus

plus de genere humano meretur, quam multi, quibus ſtatuas poſuit favor civium.

XLVI. Caſſem Aga, qui ad Britanniam, Georgio primó rerum potiente, legatus miſſus eſt, affirmavit, inſitionem variolae tamdiu Tripoli, Tuneti et Algerii, invaluiſſe, ut nemo primum ejus ortum potuerit meminiſſe; et non tantum ab incolis urbium, ſed etiam ab Arabibus ipſis ferocibus, in uſum fere univerſum revocari ſolere.

XLVII. Timoni ſuam inſitionis hiſtoriam ad Societatem Regiam Londinenſem, anno ſalutis humanae 1713, a Byzantio, mittendam curavit, in qua memoriae prodit, eam ab incolis Circaſſiae et Georgiae in illam metropolin, ante quadraginta annos, fuiſſe invectam.

XLVIII. Epiſtola a Pylarini conſcripta annum 1701 etiam, quo tempore Byzantii fuit, reſpicit.

refpicit. Ille quoque affirmat, inventorem effe ignotum, et artem primum in Graecia, praefertim in Theffalia, in ufu fuiffe.

XLIX. Neminem vero fugit tempus, quo in Britanniam primum immigraverit, et incolae a ftrage horrenda, quam variola naturalis edere confueverit, liberati fint. Primum infitionis periculum, nono Augufti die, anno orbis redempti 1721, in quibufdam morte damnatis, qui carcere, vulgo Newgate appellato, detinebantur, inftitutum eft; et cum fucceffu tam profpero, ut, brevi poftea, complures procerum eidem operationi femet objicere non dubitarint. Et, anno 1722, quidam e familia regia exemplum eorum funt imitati. Intra triennium quoque, quod proxime elapfum eft, hominibus 447 virus variolofum fuit infertum.

F I N I S.